SEXTA DIOECESANA

SYNODUS

S. BENEVENTANÆ ECCLESIÆ


Ab Eminentiſs. & Reverendiſs. in Chriſto Patre, & Domino

FR. VINCENTIO MARIA

Ordinis Prædicatorum, Tituli S. Sixti S. R. E. Presbytero Cardinali Urſino, Archiepiſcopo.

Celebrata die 24. Auguſti MDCXCI.

SECUNDA EDITIO



BENEVENTI,

ex Typographia Archiepiſcopali.

Anno MDCXCVIII.

Digitized by Google

DECRETUM

DE APERITIONE SYNODI

In Nomine Sanctiſſimæ, ac Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spirituſſancti, Amen.

FR. VINCENTIUS MARIA ORDINIS PRÆDICATORUM, Miſeratione Divina Tituli S. Sixti, S. R. E. Presbyter Cardinalis Urſinus S. Metropolitanæ Eccleſiæ Beneventanæ Archiepiſcopus.

SEXTAM, Deo benedicente, aggredimur Synodum, longo, & perpetuo tot ſeculorum uſu in S. noſtra Metropolitana Eccleſia anniverſariam. Faxit ille, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, ut quemadmodum, ſexto die, homine ad imaginem ſuam creato, cunctis manuum ſuarum valde bonis operibus benedixit, ita & in hac ſexta Synodo, Eccleſiaſtici Ordinis Viris, juſtitiam indutis, laboribus, & vigiliis noſtris in Domino gaudeamus. Quo circa eandem Synodum ſuperiore anno jam indictam, hac ipſa die 24. Auguſti 1691. ad Omnipotentis DEI, & JESU CHRISTI filii ejus Domini noſtri, SS. Deiparæ, S. Michaelis Archangeli, B. Apoſtoli Bartholomæi, Sanctorum Pontificum noſtrorum Januarii, & Barbati, Sanctorum Dominici, & Philippi Nerii, cæterorumque noſtræ Civitatis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem, & laudem apertam eſſe, atque inceptam volumus, promulgamus, & decernimus.

Reliqua decreta, nempè de modo vivendi in Synodo, de Miniſtris Synodalibus, de præjudicio non afferendo, de non diſcedendo, de oratione publica, de fidei profeſſione, & de cæteris hujuſmodi, habentur in Actis, quæ in Archiepiſcopali Cancellaria ſervantur.

CAPUT I.

De confirmatione Diœceſanarum Synodorum annis 1686. 1687. 1688. 1689. 1690. editarum.

1. Diœceſanas Synodos, una cum earum Appendicibus annis 1686. 1687. die 24. Auguſti 1688. die 25. Octobris 1689. & 1690. conſueta die 24. Auguſti à Nobis editas, typis datas, & promulgatas, præſenti Synodo confirmamus, & ab omnibus, quorum intereſt, inviolabiliter obſervari mandamus, ſub pœnis in illis ſtatutis, & comminatis.

CAPUT II.

De Verbi Dei Prædicatione.

1. Divi Petri Theologorum culminis ſententia eſt, *(a)* oportere, eum, qui docet, & inſtruit animas rudes, eſſe talem, ut pro ingenio diſcentium ſemetipſum poſſit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. Quamobrem qui in Diœceſi noſtra, præcipuè in minoribus Oppidis concionandi à Nobis facultatem obtinebunt, ſermonem audientium captui conforment, memores ſe ad populi utilitatem mitti; non ut hic velitentur, in aperto Civitatum campo cominùs pugnaturi.

2. Quia verò Eccleſiaſtæ miniſterium ſubiturus debet eſſe apprimè eruditus, & doctus, irreprehenſibilis, maturus, & pavidus *(b)* non cuivis, etiam Regularium, hanc concionandi poteſtatem faciemus, ſed iis, qui à ſuis Superioribus probati, approbationis documentum exhibuerint.

3. Nitantur omnes, quæ in patentalibus literis præſcripta ſunt adamuſſim implere: caveantque ne Feria V. in Cœna Domini per Diœceſim noſtram Paſſionis Dominicæ concionem ſub noctem *(c)* habeant; novimus enim alicubi id non in ædificationem, ſed in deſtructionem fieri. Ideòque ſi præfata die concionari moris fuerit, ſub veſpertinum crepuſculum concio perſoluta, & Eccleſia clauſa erit, alias feria VI. in Paraſceve, valde manè, ante Divini Officii inchoationem fiet. Qui contravenire præſumpſerit, de cætero in noſtra Diœceſi ſuggeſtum non aſcendet, & ſinguli Eccleſiarum Rectores quatuor ducatorum pœna plectentur.

CA-

---

a *c. oportet* 8. *q.* 1. b *ibidem* c *S.C.Ep.* 1629. *Caſtro* 20. *Mart.* 41. *apud Nic. verb. Præd. n.* 17.

CAPUT III.

De Miſſæ Sacrificio.

1. AD Miſſæ Sacrificium ſumma devotionis, ac pietatis ſpecie peragendum, Patres noſtri Altare in ſublimiore Eccleſiæ navis loco ſtatuerunt, teſtudine columnis ſuffulta obduxerunt cancellis, quibus Clerus à populo diſtingueretur, munierunt, & varium Miniſtrorum ordinem ſtatuere, quibus Miſſarum ſolemnia, qua decet majeſtate, celebrarentur.

2. Quod minimè attendentes plerique, non ordinata devotione moti, Miſſam cum cantu in quovis Eccleſiæ Altari, prout ejus Sancti feſtum occurrit, perſolvunt, vel perſolvendam curant, licèt Altare illud, ſivè Capella ſolemnioris miniſterii incapax ſit, & qui Choro adſunt, quicquid ibi peragatur non videant, vel ſi ad Capellam accedant, laicis commiſti indecorè interſint. Quapropter præcipimus, ut in poſterum Miſſæ omnes ſolemniores in Principe Ara fiant, ſub pœna interdicti illius Altaris, ſeù Capellæ minoris, in qua ſacrificium cum cantu peractum fuerit.

CAPUT IV.

De Pœnitentiæ Sacramento.

1. AD rectam tanti Sacramenti adminiſtrationem, & ad neceſſariam Miniſtri peritiam cum primis requiritur earum propoſitionum notitia, quas S.R. Apoſtolica Sedes damnavit: & licet quartæ noſtræ Synodi, quæ tunc circumferebantur Appendici inſeruimus, quæ tandem à s.m. Alexandro PP. VIII. damnatæ ſunt, in hujus Synodi Appendice habebuntur.

CAPUT V.

De Sacramento Ordinis.

1. QUoniam eos, qui Divino miniſterio adſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare non decet, in eam curam incumbimus, ne quis Clericus ad ſacros ordines promoveatur, niſi prius legitimè conſtet, eum beneficium Eccleſiaſticum, vel patrimonium, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat pacificè poſſidere.

2. Ordinationes verò ad titulum Eccleſiarum Receptitiarum, quarum plurimæ in Diœceſi noſtra ſunt, ſivè communis Maſſæ, ut vocant, niſi intereà ordinandis aſſignetur patrimonium ſufficiens, donec ad Presbyteratus Ordinem promoti fuerint, omninò im-

pro-

probamus. (a) Quinimò ne hanc quidem ad Præsbyteratus ordinem promotionem faciendam mandamus, niſi in illis Eccleſiiis, in quibus recipiendorum per nos, inſpectis reditibus, (b) taxatus eſt numerus; nam Clericis indiſcriminatim ad titulum hujuſmodi Eccleſiarum promotis, tàm ipſos, quàm qui priùs recepti fuerant, pauperes in S. Viſitatione deprehendimus, cùm quod paucis ſatis erat, in plures diviſum, pro nihilo reputetur.

CAPUT VI.

De Indulgentiis.

1. INfinitum Indulgentiarum theſaurum, quem comparavit nobis, qui in dilectione ſua, & indulgentia ſua nos redemit(c) Parochi omnes animabus ſibi commiſſis, quotiès opus fuerit, evulgare tenentur. Ne verò in re tanti momenti apocryphis libellis fallantur, decretum Sacræ Congregationis Indulgentiis præpoſitę in Appendice inſertum dabimus.

CAPUT VII.

De Sacris Caremoniis.

1. CUm per viſibilia Religionis, & pietatis ſigna, quæ cęremoniarum nomine cenſentur, inviſibilià Dei intellecta conſpiciantur; omnem paſtoralis noſtri muneris cùram in hoc intendimus, ut in Sacramentorum adminiſtratione ſacri ritus adamuſſim ſerventur.

2. Quia verò nonnullos Parochos deprehendimus, qui licèt Sacramenta adminiſtrent, & Rituale Romanum præmanibus habeant, nunquam tamen adminiſtrationis Rubricas in eo legerunt, cujus negligentiæ cauſa ſolos, quos noverunt abuſus, quaſi normam amplectuntur. Quo circa diſtrictè præcipimus, ut nullus Archipresbyter, Parochus, aut etiam Oeconomus ad Sacramenta adminiſtranda, cæteraſque Parochiales functiones perſolvendas procedat, niſi lectis priùs in præfato Rituali Rubricis, quas ad unguem ſervandas curabunt, & ſuper quibus in S. Viſitatione rigoroſum examen ſubibunt. Si verò in veteribus abuſibus ſtertere invenientur, ſuſpenſionis à Divinis pœna in excuſabiles afficientur.

CA-

a *Sacr.Cong.Conc.26.Septemb.1623. apud Criſpinum tract. de Sacr. Ord.§.7.* b *c.quoniam de vit.& hon.c.non ampliùs.c. auctoritate de inſtitutionibus.c.ex parte.de conceſſ.preben.in fin.* c *Iſai.63.*

CAPUT VIII.

De Proceſſionibus.

1. IRridebant Romani milites hebræos illos, qui vaſtatam Hieroſolymam ingredi vetiti, quovis anniverſario dirutæ Civitatis, ejuſque Templi die, illuc, ut Hieronymus refert, (a) ſoluto pretio, accedebant, & ſciſſi crines, lividi brachia, madidi genas ejulatu plurimo ruinam deflebant. Nonne & irriſionem petunt ruſtici illi, qui campeſtres Eccleſias prorsùs dirutas, herbis, & ruderibus completas toto anno deſerunt; at cùm ſupplicationes habendæ ſunt, tunc ad illas proceſſiones dirigendas conclamant, quaſi ruinas hebræorum more defleturi? Tantam veſaniam præſenti conſtitutione eliminamus, præcipientes, ne ad Eccleſias dirutas ſupplicationes ducantur, neve ante illas Sacerdotes ſtantes faciant cõmemorationes; ſed ſi qua pietas in oppidanis ineſt, ad illas reparãdas convertatur. Eò denique, ubi ſacra non fiunt, nulla proceſſio dirigatur. Qui ſecus fecerint, pœnas ducatorum decem omninò dabunt.

2. Illùd verò, quod ipſa gens ruſticana, ponderi diei, & æſtus aſſueta, proceſſiones in locis ſylveſtribus, nocte adhuc perſeverante, vel invito Rectore, vel non ſine ſcandalo, ſub clementioris aeris prætextu perſolvere contendit, omnimodis interdicimus, & ſub eadem pœna ducatorum decem, ſivè majore pro contumaciæ modo Eccleſiaſticis viris, & confratribus inhibemus, ne ab eis vel ante matutinum, vel poſt veſpertinum crepuſculum proceſſiones in cãpeſtribus habeantur.

CAPUT IX.

De fabricis Eccleſiarum.

1. UT Deus in domibus ejus cognoſcatur, (b) ſacris Canonibus ſtatutum eſt, quatenus qui Eccleſiam ædificare vult, ante præfiniat quæ ad luminaria, & cuſtodiam, & ad ſtipendia cuſtodum ſufficiant, & oſtenſa donatione (c) tunc Epiſcopus Civitatis veniet, & ibidem Crucem figet, publicèque atrium deſignabit, quod & ſancta aqua conſperget.

2. Sed temporum injuria, & hominum incuria factum fuerat, ut in Diœceſi noſtra, ob dotis defectum, multæ conſpicerentur Eccleſiæ ad vaſtitatem redactæ, nec non in Eccleſiis ipſis multiplicata alta-

a *in ſophon.c.1.* b *pſal.47.* c *c.Nemo Eccleſiam de conſecr.diſt.1.*

altaria ſuis viduata ornamētis, quæ potiùs religionis contemptum, quàm divini cultus, ut par eſt, incrementum præſeferebant. Tantis malis in S. Viſitatione pro viribus occurrentes, nullum non movimus lapidem, ut Eccleſiæ omnes, & earum altaria ad debitum revocarentur decorem.

3. Et ne deinceps tantus error irrepat, præſenti conſtitutione decernimus, ut nemo Eccleſiam à fundamentis erigere præſumat, qui ante non prætinierit, conſtitueritque dotem annuam ducatorum viginti, aut etiam majorem, ſi, Eccleſiæ penſata magnitudine, Nos duxerimus neceſſariam, Altaria verò ne erigantur, niſi (conſiderata priùs Eccleſiæ ſymmetria) conſtituta dote ducatorum ſaltem quatuor annuorum; quæ dotes certæ, & liberæ, inſtrumento, cum inſerta forma facultatis à nobis obtententæ (ſine qua nemini deinceps Eccleſias, aut altaria erigere, immò nec aliquid circa eorum materiale innovare licebit) manu publici Notarii confecto, cautè firmentur: & publicum hujuſmodi documentum in noſtræ Cancelleriæ actis conſignetur.

4. Inſcriptiones non, niſi à nobis probatæ, Eccleſiis apponantur, nàm & inſulſas, & ridiculas, & non paucas alieno juri præjudiciales fraudulentèr inciſas legimus. Si quis hoc impoſterum auſus fuerit, & Eccleſiæ Rector, ſeù quivis alius inibi majorem locum inter Eccleſiaſticos obtinens, hac de re Nos non fecerit certiores, hic quinque & viginti ducatorum, ille Eccleſiaſtici interdicti pœnam ſe noverint incurriſſe.

5. Quia verò ad Eccleſiæ fabricam, & decorem Sacrarum Turrium, quæ campanilia vocantur, perfectio ſpectat, cum nonnullas earum infectas reliquerint plebes, ad ingentes campanas ſibi comparandas in ſano faſtu converſæ, ut cùm turrium perficiendarum, tùm Eccleſiarum neceſſariò inſtaurandarum memoria cum ſonitu deperiret; Idcircò ne novæ campanæ fundantur, niſi perfectis omninò turribus (& tunc etiam nobis conſciis, & permittentibus) ſub excommunicationis, nobis reſervatæ, pœna inhibemus: & fuſas nondum appenſas ab ipſis imperfectis turribus ſub eadem pœna proſcribimus.

6. Eaſdem quoque campanas, ad id ab Eccleſia inſtitutas, ut accedente Pontificis benedictione, hos effectus, ad Chriſtiani populi utilitatem, & ſalutem pariant, quos vulgatum illud continet

diſti-

diſtichon: (a)

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum,
Defunctos ploro, peſtes fugo, feſta decoro.

Nemini poſt hac novas, à nobis non benedictas ſacris turribus apponere liceat, ſub Eccleſiæ interdicti pœna: eſſe enim de neceſſitate præcepti hujuſmodi Pontificalis benedictio, ſivè conſecratio cenſetur: quamobrem etiam Regulares (b) cogendos eſſe ad deponendum de campanili campanas, ſi illic non benedictas appenderint, ſancitum habetur.

CAPUT X.

De bonis Eccleſiaſticis, Inventario, & Archivo.

1. CUm bona Eccleſiarum, pretia peccatorum, depoſita pietatis, & patrimonium Chriſti ſint, earum Rectores cum omni diligentia (c) & bona fide, quæ Deo debetur, qui omnia providet, gubernare debent, & cuſtodire. Quamvis autem nos pro paſtorali noſtra ſolicitudine in Archivo noſtro Archepiſcopali omnium Eccleſiaſticorum bonorum tam Civitatis, quàm Diœceſis inventaria uno, & viginti ingentibus voluminibus comprehenſa repoſuerimus, cōvenit tamen ut unaquæq; noſtræ Diœceſis Eccleſia ſivè collegiata, ſivè convētualis, & receptitia, ſivè parochialis ſuum habeat archivum, quod infra menſem poſt hanc publicatam conſtitutionem conficiatur. In eo documenta omnia hactenùs diſperſa infra tres menſes collecta reponantur, & Inventarii nobis traditi duplicatum habeatur, ac quæ deinceps conficientur inſtrumenta ſerventur. Archivi clavis, ubi communitas eſt, ab Archiviſta, ad id à communitate electo, cuſtodiatur, qui documentorum inventarium habeat, quod ſingulis annis ſucceſſori Archiviſtæ, & tunc pariter authenticum ejus duplicatum Curiæ noſtræ omninò tradet. Ubi ſolus Eccleſiæ Rector, ibi ipſe ſit cuſtos, & ſi non archivum, armariolum ſaltem benè compactum, tutum, & clavi munitum ſibi conſtruat. Quorum ſi quiſpiam neglector fuerit, pro quavis tranſgreſſione decem ducatorum pœnas dabit.

2. Ad eorundem bonorum conſervationem facit, ut eorum, quæ in emphyteuſim tradita ſunt, ne detrimentum patiantur, neve lineas ſenſim excedant, expleto cenſus tempore, inſtrumenta re-

a *Gloſſ. in extravag. de offic. Cuſtod. c. 1.* b *S. R. C. 1614. Teramo 17. Jan. 6. apud Nic. v. Campana n. 5.* c *c. quacumque x, q. 1.*

noventur, ſervatis aliàs de jure ſarvandis. Qui ſecùs fecerint, pœnas extravagantis Ambitoiſæ contra non renovantes, latas ſe noverint incurriſſe.

CAPUT XI.

De vita, & honeſtate Clericorum.

1. DIvinis eloquiis, quibus nemo militans Deo, negotiis ſecularibus implicari permittitur, (*a*) ſacriſque canonibus (*b*) quibus Sacerdotes, & Clerici ne miniſtri Laicorum ſint, nec in rebus eorum procuratores exiſtant, jubētur, & ſub interminatione anathematis, nequis Sacerdos habeat officium Vice. comitis, aut præpoſiti ſecularis interdicitur (*c*) inhærentes, præcipimus, nequis Clericus ſive in minoribus, ſive in ſacris exiſtens, fluctibus ſeculi, ut poteſtatibus placeat, ſe immergens, Locum-tenentis, ſive alterius laicalis officii, quocumque nomine cenſentur, pro cauſis civilibus, & multo minus pro criminalibus miniſterium exerceat. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, & hac coſtitutione monitus, emendare noluerit, excommunicationi ſe noverit ſubjacere.

CAPUT XII.

De Hoſpitalibus domibus.

1. OMnes noſtræ diœceſis hoſpitales domus Curiæ noſtræ juriſdictioni ſubjectæ, omnem noſtram requirunt ſolicitudinem, ut earum Adminiſtratores Abraham hoſpitalem imitentur, qui & meruit Angelos hoſpitio recepiſse. Quamobrem præcipimus nequis ejuſmodi domus cuſtos fiat, niſi à nobis probatus, & noſtris patentalibus literis de more, nunquàm intermiſſo, muniatur.

2. Illos verò contractus, mortificationes nuncupatos, quos non paucis in locis noſtræ Diœceſis deprehendimus, nempè ut quis ſua omnia hoſpitali tribuat, & ipſe deinceps hoſpitalis bonis, tanquàm propriis, quoad vixerit utatur, abſque ullo Curiæ noſtræ conſenſu, omnimodis de cætero prohibemus: invenimus enim hujusmodi perſonas omnes fuiſſe miſerabiles, & parum intuliſſe, ut multum abſumerent, melioribus hoſpitii habitaculis frui, & piæ domui tandem eſſe veluti Mus in pera, ignis in ſinu, ſerpens in gremio: (*d*) Ideoque ne talis mortificatio, quæ in Chriſti pauperū mortificationem vergit,

---

a 2. *ad Tim.* 2. b *Cap. Sacerdotibus, & Clericis.* c *cap. ſed nec. Ne Cler. vel Mon.* d 13. *q.* 1. *Eccleſias* §. *Ad hac.*

git, deinceps fiat, diſtrictè mandamus: & quicontra venire præſumpſerit, excōmunicationis latæ ſententiæ pœnam ſe noverit incurriſſe.

DECRETUM.

De iis, quæ ad univerſas Conſtitutiones pertinent.

HOc Decretum, ſicuti extat in prima Synodo, in ſexta confirmamus, volumuſque ut omnes, & ſingulos arctet, ac ſi ad verbum hic inſertum, & relatum fuiſſet

DECRETUM

De Synodi Concluſione.

HÆc ſunt, quæ Spiritui ſancto, & nobis decernenda viſa ſunt in præſenti noſtra ſexta Diœceſana Synodo, quam optatum finem conſecutam complemus. Proptereà ipſam, Deo, qui eandem cœpit, & perfecit, gratias agentes, concludendam eſſe decernimus & concluſam denunciamus.

DECRETUM

De Indictione futura Synodi.

SYnodum aliam futuram, juxta S. Conc. Tridentini ſanctiones, & antiquum noſtræ Eccleſiæ morem, indicimus habendam eſſe die 24. Auguſti ſequentis anni 1692. niſi quid emerſerit declarandum, ſeù decernendum in Synodo Litaniarum, quæ de more habebitur die 25. Octobris currentis anni 1691.

ROGITUS ACTORUM.

PRædicta omnia, & ſingula acta, & decreta in præſenti Synodo contenta, celebrata, promulgata, lecta, lata, & recepta fuiſſe in Eccleſia Societatis JESU, de conſenſu Patrum, ob Metropolitanæ Eccleſiæ actualem reparationem, coram Reverendiſſimo Capitulo ejuſdem Metropolitanæ, necnon admodum Reverendis Capitulis Collegiatarum Urbis, & Clero urbano, & foraneo de more, Præſidente, de ſpeciali mandato Eminentiſſimi Archiepiſcopi, Reverendiſſimo Domino Pompejo Sarnellio S. Th. & U. J. D. Protonotario Apoſtolico, Abbate infulato inſignis Collegii S. Spiritus, & ejuſdem Eminentiſſimi Archiepiſcopi Generali Auditore, ſub die 24. Auguſti 4691. fidem facio, atque teſtor

Ego Blaſius Grandi præfati Collegii S. Spiritus Canonicus, Not. Apoſt. & Procancellarius.

ACCLAMATIONES

Habentur in prima Synodo Diœceſana propè finem.

DECRETUM ULTIMUM

De Synodi dimiſſione.

AD laudem Omnipotentis DEI, Beatiſſimæque ſemper Virginis MARIÆ Matris DEI, S. Michaelis Archangeli, B. Apoſtoli Bartholomæi, SS. Pontificum Januarii, & Barbati, SS. Confeſſorum Dominici, & Philippi Nerii, reliquorumque hujus noſtræ Civitatis Patronorum, Cæterorumque Sanctorum, Synodum diſſolutam, ac dimiſſam decernimus: itaut unicuique licitum ſit ad proprias Eccleſias redire. Hortamur tamen, & obſecramus vos, Fratres chariſſimi, quatenus tales in veſtro munere ſitis, ut in moribus veſtris hujus noſtræ Synodi fructus eluceſcat, & veſtro exemplo imitationem ſanctam plebs acquirat. Lauretanæ verò Litaniæ adhuc ſingulis Sabbatis recitentur, ut Beata Virgine MARIA intercedente, quæ fiducialitèr cœpimus felicitèr conſummemus.

FINIS.

JUDICES, ET EXAMINATORES SYNODALES

Confirmati ſunt omnes in prima, ſecunda, tertia, & quinta Synodo enumerati.

APPENDICE
AL SESTO SINODO DIOCESANO
Della Santa Metropolitana Chieſa di Benevento Dell'Anno MDCXCI.

I.

Formulæ decretorum,& inſtantiarum Synodalium in V. Synodo ſimul cum Methodo hac ſecunda Editione fuerunt appoſitæ.

II.

EDITTO XVII.

Intorno alla formazione del Seſto libro Parrocchiale delle Decime.

Per la retta eſecuzione del Cap. XIII. de decimis del quarto Sinodo pag.16.

FR. VINCENZO MARIA DELL' ORDINE de'Predicatori, per Divina Miſericordia del Titolo di S. Siſto della S. R. C. Prete Cardinale Orſini, della S. Chieſa di Benevento Arciveſcovo.

Introduzione.

Decime per quãti capi dovute alle Chieſe,ed a'Sacerdoti.

1. DEbbonſi alle Chieſe, ed a'Sacerdoti le decime sì per la legge naturale (*a*) ſiccome Abramo le diede à Melchiſedech: sì per la legge ſcritta, havendoſi nell'Eſodo (*b*) *decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere*. Sì per l'autorità profetica (*c*) *Inferte omnem decimam in horreum meum*, e finalmente per la canonica legge (*d*) che ciò comanda, volendo innoltre il Sagrò Concilio di Trento (*e*) che i detraenti, ò impedienti le decime, come invaſori della roba altrui ſiano ſcomunicati, e non ſiano aſſoluti, ſe non ſeguita la piena, ed intiera ſòddisfazione. Ma perche molti vi ſono di sì perduta ſalute, che tutto ciò non oſtante, han tanta renitenza à pagar le decime, che anzi ſi contentano muover liti, ed in eſſe conſumarſi, che ſoddisfare: quin-

a *cap. decimas Deo 16.q.7.*
b *Exod.22.*
c *Malachia 3 10.*
d *Decimas il. 1.16.q.7.*
e *Trid. ſeſſ.25. de reform. cap. 12.*

quindi è che per togliere ogni ſutterfugio a'litigioſi, e per fare, che le Chieſe non ſiano in avvenire fraudate, e perche i fedeli non reſtino privi di quella doppia benedizione de'beni terreni, e celeſti, ordinammo nel noſtro Quarto Sinodo *cap. xiij. de Decimis*, che ogni Parroco habbia il ſeſto libro Parrocchiale grande in foglio, coperto di pergameno, come gli altri cinque libri, dove ogn'anno ſi regiſtri l'eſazione delle decime, che gli pervengono da'ſuoi Parrocchiani: E perche non tutti capirono la maniera, da noi loro ſignificata, acciocchè facile, ed uniforme ſia il metodo, ordiniamo, che da tutti ſi oſſervi la ſeguente.

Libri Parrocchiali come debbono eſſere.

FORMOLA

Da ſcrivere il ſeſto libro Parrocchiale delle Decime.

Avvertimenti notabili.

i. In queſto libro dourà primieramente il Parroco ſpiegare la qualità delle decime: cioè, ſe ſiano prediali, perſonali, ò ſopra le beſtie, con deſcrivere il circuito, e riſtretto della ſua Parrocchia; ed il numero delle beſtie.

ij. La quantità, ò ſia cota delle decime, cioè quanto pagano i Parrocchiani, che ſeminano nel diſtretto, quãto i Parrocchiani, che ſeminano fuori del diſtretto, quanto i foreſtieri, che ſeminano nel diſtretto, e quanto per beſtia, tanto nel diſtretto, quanto fuori.

iij. La maniera che ſi hà à tenere nel notare le dette decime ſarà ſecõdo l'ordine notato nello ſtato delle anime, incominciando dalla prima famiglia ſino all'ultima cõ pigliare i capi delle famiglie nella maniera ſeguẽte.

Decime Prediali, e perſonali

Decime prediali, e perſonali.

Numero de' Capi delle famiglie, ſecõdo lo ſtato delle anime.	raccolto	decima in grano	orzo, e legumi	decime perſonali
1. Antonio N. grano	tt. 80.	tt. 8.	——	
Detto mezza decima	tt. 80.	tt. 4.	——	——
Detto orzo	tt. 20.	——	tt. 2.	——
Detto fave	tt. 10.	——	tt. 1.	——
Fave mezza decima	tt. 10.	——	tt. 0. 2.	——
2. Franceſco N. perſonale		——	——	20.
3. Antonia N. Vedova		——	——	10.

4. Do-

4. Domenico N. grano tt. 20.	tt. 2.	——	——
Detto orzo tt. 30.		tt. 3.	
Somma	tt. 14.	tt. 6. 2.	30.

iv. E così ſi deve continuare ſino che ſiano finite tutte le famiglie dello ſtato delle anime, con riportare in ogni principio di foglio la ſomma retroſcritta. Avvertendo, che ſi debbono notare anche quelli, che non pagano con eſplicar la cagione, perchè non pagano. Altri avvertimenti neceſſarii.

v. Finito lo ſtato delle anime, ſi de' fare una nota ſeparata delle decime di lino, e canape, con notarci ſe ſi dia ſecco, ò macerato, e quanto per cento, e ſi debbono replicar le famiglie collo ſteſſo ordine dello ſtato delle anime: cioè

Lino, e Canape.

Decime di lino, e canape.

		raccolto	decima
Franceſco N. lino manipoli		200.	m. 20.
detto	Canape manipoli	1000.	m. 100.
		Somma	m. 120.

vj. Finita l'eſazione de' Parrocchiani ſecondo lo ſtato delle anime, ſi noteranno le decime, che ſi eſiggono da' foreſtieri nel diſtretto: cioè

Decime de' foreſtieri.

Decime de foreſtieri.	raccolto	decima di grano	decima di orzo, e legumi
1. Niccolò N. grano	tt. 100.	tt. 5.	
detto orzo	tt. 200.	——	tt. 10.
2. Antonio N. grano.	tt. 50.	tt. 2. 2.	——
3. Franceſco N. orzo	tt. 100.	——	tt. 5.
	Somma	tt. 7. 2.	tt. 15.

vij. Dopò ſi farà una nota delle decime, che ſi eſiggono ſopra le beſtie nel modo, che ſiegue

Decime ſopra le beſtie.

Decime ſopra animali	decime di grano	decime di orzo
Franceſco N. per Bovi 12.	tt. 12.	tt. 6.

An-

Antonio N. per Bovi 20.	tt. 20.	tt. 10.
Domenico N. per Bovi 4.	tt. 4.	tt. 2.
	36.	18.

viij. E così conſecutivamente ſino, che ſaranno finite tutte le decime, raccordãdo, che in ogni paeſe ſi de' notare il tanto per cento, ſecondo l'uſanza del luogo.

ix. Dopo finito ſi de'far la Collettiva di tutte le decime eſatte, come ſiegue:

Collettiva generale delle Decime.

Collettiva generale del 1698.

Grano di decime, e mezze decime	tt. 14.	
Grano di decime de'foreſtieri	tt. 7.	2.
Grano di decime d'animali	tt. 36.	
	tt. 57.	2.
Orzo di decime, e mezze decime	tt. 3.	
Orzo di decime de'foreſtieri	tt. 15.	
Orzo di decime d'animali	tt. 18.	
	tt. 36.	
Lino, e canope manipoli	120.	

In tutto.

Collettiva in denaro.

Grano tt. 57. 2. à carlini ſette il tumolo	40.	25.
Orzo, e legumi tt. 36. à carlini 4. il tumolo	14.	40.
Lino, e canape manipoli 120.	1.	
Decime perſonali in denaro		30.
	55.	95.

Le formole debbono traſcriverſi ne' principii de' libri. Pena à traſgreſſori.

2. E così comandiamo che perpetuamente ſi oſſervi, ordinando, che la ſteſſa formola ſi traſcriva nel principio del ſeſto libro ſudetto, acciocchè ſi habbia ſempre alle mani, e chi traſgredirà il metodo della medeſima incorrerà nella pena di ſcudi 6. d'applicarſi a'luoghi pii.

Publicazione del preſente Editto.

3. Ed acciocchè niuno poſſa allegare ſcuſa d'ignoranza, ordiniamo, che una copia del preſente Editto affiſſa nel ſolito pubblico luogo vaglia come ſe à tutti, ed à cia-

à ciaſcheduno foſſe ſtato perſonalmente notificato. Dato in Benevento dal noſtro Archiepiſcopio a'17.di Febbrajo 1691. e di nuovo confirmato nel conſeſſo Sinodale, canonicamente ragunato a'24.di Agoſto 1691.

Fr. Vinc. Maria Card. Arciv.

I per Sua Emin. P. Abate Sarnelli Ud. Gen. Delegato.

P. Canonico Santoro Proſegretario.

III.

CATALOGO

DELLE PROPOSIZIONI DANNATE

Dalla fel. mem. di Papa ALESANDRO VIII.

Citato nel Cap. IV. De Sacramento Pœnitentia. pag. 5.

ALEXANDER PP. VIII. ad perpetuam rei memoriam. *Inter* multiplices Paſtoralis officii noſtri curas,&c. Motu proprio, ac ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula, quæ tàm quoad extenſionem Iuris Regaliæ, quàm quoad declarationem de poteſtate Eccleſiaſtica, ac quatuor in ea contentas propoſitiones in ſupradictis Comitiis Cleri Gallicani anno 1682. habitis, acta, & geſta fuerunt, cum omnibus, & ſingulis mandatis, arreſtis, confirmationibus, declarationibus, epiſtolis, edictis, & decretis à quibusvis perſonis ſivè Eccleſiaſticis, ſivè laicis, quomodolibet qualificatis, quavis, auctoritate, & poteſtate, etiam individuam expreſſionẽ requirente, fungentibus, editis, ſeù publicatis, necnon reliqua omnia quotcumque, & qualiacumq; eidem Sedi Apoſtolicæ, Romanæque Eccleſiæ, vel juriſdictioni, immunitati, vel libertati Eccleſiaſticæ, ſeu aliàs Eccleſiis, Monaſteriis, & locis piis præfatis, illorũq; reſpectivè perſonis, rebus, bonis, privilegiis, prærogativis, & juribus quibuscumq; quomodolibet præjudicalia in dicto Regno peracta, & geſta, cum omnibus, & ſingulis quandocumq; & quomodocunq; inde ſecutis, & quocũq; tempore ſecuturis ipſo jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacua ab ipſo initio fuiſſe, & eſſe, ac perpetuò fore, &c. declaramus, & decernimus, &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die quarta Auguſti 1690. Pontificatus noſtri Anno primo.

I. F. Cardinalis Albanus.

DECRETUM.

Feria v. die 24. Auguſti 1690.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniverſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. D. ALEXANDRO Divina Providentia Papa VIII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus D. N. ALEXANDER Papa VIII. non ſinè magno animi ſui mœrore audivit duas Theſes, ſeù Propoſitiones, unam denuò, & in majorem fidelium perniciem ſuſcitari, alteram de novo erumpere; & cùm ſui paſtoralis officij munus ſit, oves ſibi creditas à noxiis paſcuis avertere, & ad ſalutaria ſemper dirigere, dictarum theſium, ſive propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deindè Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus ſedulò commiſit, qui pluries re maturè diſcuſſa, infraſcriptis theſibus, ſeù propoſitionibus ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſingillatim expoſuerunt.

I. Bonitas obiectiva conſiſtit in convenientia obiecti cum natura rationali: Formalis verò in cõformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITAE SUAE MORALIS.

II. Peccatum philoſophicum, ſeù morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & morale eſt tranſgreſſio libera Divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctiſſimus, omnibus plenè, & maturè conſideratis primam theſem, ſeù propoſitionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis: ſecundam theſem, ſeù propoſitionem declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat,

&

& prohibet, ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini judicij prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, nè prædictam theſem, ſeu propoſitionem ad praxim deducant.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Vniverſalis Inquiſitionis Notarius.

Die 24. auguſti 1690. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatij S. Officij in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perrinum SS. D. N. Papæ, & SS. Inquiſitionis Curſorem.

DECRETVM.

Feria v. die vij. Decembris 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montiſquirinalis, coràm Sanctiſs. D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VIII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Chriſtiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialitèr deputatis.

Sanctiſſimus D. N. Alexander Divina Providentia Papa VIII. prædictus: Pro paſtorali cura Ovium à Christo Domino ſibi commiſſa de earum ſalute ſollicitus, ut in offenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimiùm perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deindè Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit, qui tantum negotium diligenter aggreſſi, eique ſedulò, ac pluries incumbentes, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim detulerunt.

PROPOSITIONES AVTEM SVNT INFRASCRIPTÆ VIDELICET.

1. IN ſtatu naturę lapſæ ad peccatũ mortale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, pec-

cato originali, & voluntate Adami peccantis.

2 Tametſi detur ignorantia invicibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali.

3 Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.

4 Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

5 Pagani, Iudæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Ieſu Chriſto influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſinè omni gratia ſufficienti.

6 Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tàm utilis, quàm pernicioſa eſt, ſicut proindè meritò poſſumus petere à gratia ſufficienti *Libera nos Domine.*

7 Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi, ſi Dei Charitas Patris eſt, ſi mundi concupiſcientia carnis, hoc eſt, mala eſt.

8 Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.

9 Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, ſinè ullo ad Deum offenſum reſpectu.

10 Intentio qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut Cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

11 Omne quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12 Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

13 Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi carverit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14 Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15 Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei, propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

16 Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio naturæ rei id ipſum quodammodo dictante.

31 Per

17 Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt in verſus.

18 Conſuetudo moderna quod adm iniſtrationem ſacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19 Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20 Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21 Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibùs vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeù ſatisfactione, ob quæſtum, ſeù lucrum ſubſidii temporalis.

22 Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequàm còndignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

23 Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24 Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis ſuæ per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quòd indiguerit purificatione, quòd filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundùm verba legis.

25 Dei Patris Simulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.

26 Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.

27 Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, *In nomine Patris, &c.* prætermiſſis illis, *Ego te baptizo.*

28 Valet Babtiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi obſervat, intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit, *Non intendo, quod facit Eccleſia.*

29 Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infaillibilitate.

30 Vbi quis invenerit doctrinã in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

17 Bul-

31 Bullam Vrbani VIII. *In eminenti*, eſt ſubreptitia.

Quibus maturè conſideratis idem Sanctiſsimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas Propoſitiones tanquam temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, Hæreſi proximas, Hæreſim ſapientes, erroneas, Schiſmaticas, & hæreticas reſpectivè, eſſe damnandas, ſicut eas damnat, & prohibet, itaût quicumq; illas aut coniunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in Excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumq; etiam Dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Iudicij prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cujuſcumque conditionis, Dignitatis, & Status, etiam ſpeciali, & ſpecialiſsima nota dignis, nè prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in Majori numero ultrà ſupradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expreſſas approbare.

Alexander Speronus S. R. & Vniverſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. IESV CHRISTI milleſimo, ſexcenteſimo nonageſimo, indict. 13. die 20. Decembris, Pontificatus autem SS. D. N. ALEXANDRI *Divina Providentia PP. VIII. Anno ſecundo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Franciſcum Perrinum SS. D. N. Papæ, & Sanctiſs., inquiſitionis Curſorem.*

Jo: Baptiſta de Comitibus Mag. Curs.

DECRETO.

Della Sagra Congregazione delle Indulgenze, col quale ſi dichiara quali ſiano apocrife, quali finte, quali falſe.

Citato nel Cap. VI. de Indulgentiis pag. 6.

DElatæ ſæpiùs fuere ad Sacram Congregationem Indulgentis, ſacriſque Reliquiis præpoſitam, indulgentiæ quædam conſictæ, & omninò falſæ, quæ per diverſas Orbis Chriſtiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito ſtudio inven-

ventæ ſunt vel apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatę, vel nullæ, quod datum ei tempus præteriiſſet: quarum quidem plurimæ, cùm non facilem cognitionem habeant Chriſtifideles harum rerum minus peritos fallunt, qui ſpe Indulgentiæ, remiſſionisque peccatorum ſuorum conſequendæ, fruſtrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies ſerpenti occurrere, animarum profectui, & indulgentiarum dignitati conſulere, plures illarum ſingulari diligentia colligi, & in Indicem referri curavit.

Tales in primis ſunt illæ, uti aſſerunt, conceſſæ à Ioanne *II.* & Sixto IV. recitantibus Orationem charitatis Ieſu Chriſti Domini noſtri, *Precor te, piiſſime Domine*, &c. ab Vrbano *II.* Eccleſiæ S. Mariæ, ut vulgò dici ſolet, Campagnolæ, & S. Victoriæ, ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero Ieſu Chriſti factæ S. Bernardo ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis, à Bonifacio IX. viſitantibus Cappellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die feſto, à Joanne XXII. oſculantibus menſuram plantæ pedis B. Marię Virginis, ab Alexandro VI. Imagini *B.* Marię, vulgò dictæ, Laghetti, à Leone X. geſtantibus funiculum S. Franciſci, primum in Urbe impreſſæ, deindè Mediolani anno 1665. (ſuas tamen habent, & veras Confratres Archiconfraternitatis Chordigerorum *S.* Franciſci) recitantibus Salutationem Angelicam ad pulſum horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis *I*mmaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus Luna ſubiecta eſt, à Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum, a Clemente VIII. dicentibus Orationē, O magnum myſterium, &c. & Eccleſiæ S. Mariæ, quam vocāt, Montis Serrati, Avenione impreſſæ, tùm aliæ pro animabus Chriſtifidelium defunctorum impreſſæ Matriti 20. Julii 1606. à Paulo V. cantantibus Hymnum Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur, &c. vel ſi die Sabbati interer int dum idem canitur, & Coronis, Roſariis, Imaginibus, & Numismatibus, quæ medallias appellant, ab eo benedictis, Federicò Cardinali Borromeo ſupplicante anno 1611. dum Eccleſia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur, ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus, Sia lodato il *S*antiſſimo Sagramento, laus Sanctiſſimo Sagramento, ab Urbano VIII. in honorem ejuſdem Sagramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus, celebrata Miſſa, dicentibus, Ave Filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii, &c. à Clemente X. recitantibus

tibus mane, meridie, ac Veſpere conſuetam Antiphonam, Angelus Domini,&c.& in fine,Deo gratias,& Mariæ;ac demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ,ut ajunt, Coronis Myſteriorũ Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti prece magni Ducis Etruriæ.

Talis indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die à Purgatorij pœnis affirmant. Tales aliæ Peruſij Confraternitatis Sanctorum Sebaſtiani, & Rochi, & Romæ Societatis S.Bernardi ad Columnam Trajani; Tales demũ aliæ Cruce ſignatorum S. Euſtorgij Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis ſunt & illæ conceſſæ, ut ajunt, Capellæ Roſarii in Eccleſia S. Antonii de Rovigo, ſeu Rodigij, vel Eccleſiæ Sanctiſs. Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni die feſto Inventionis Sanctiſs. Crucis,vel geſtantibus funiculum S. Franciſci de Paula, vel celebrantibus Miſſas S. Auguſtini,aut alias quinque in honorem quinque feſtivitatum B.V.vel recitantibus Officium S.Frãciſcæ Romanæ,aut Antiphonam, ò Paſſio magna &c. in memoriam Paſſionis Jeſu, aut Roſarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut orationem, quæ impreſſa cum imagine S. Annæ circumferri ſolet, Ave gratia plena &c. (quæ oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. V. immaculatæ, quod afferunt à Paulo V. probatum fuiſſe, aut orationem, Deus, qui nobis in S.Syndone &c. (excipitur indulgentia centum dierum anno 1671. conceſſa precibus Duciſſæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam, Ave filia Dei &c. poſt comunionem recitandam, vel aliquo conſpicuo ſigno venerantibus Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti nomen; Indulgentię rurſus octoginta millium annorum veteri de Tabula exſcriptæ, quam in Baſilica Lateranenſi aſſervari affirmant, pro dicentibus orationem illam verè piam, Deus qui pro redemptione Mundi &c. tum quæ impreſſæ fuerunt Papiæ anno 1670. ſub hoc titulo,Sommario delle indulgenze conceſſe dalla Santità di Noſtro Sig. Papa Leone X.all' Imagine della Concezzione della Glorioſa Vergine Maria, vel Piſauri ſub nomine B. Joanne, anno 1628. evulgatæ,vel Barlettæ, ſeu Barula recitantibus quaſdam, non ſanè malas orationes;lucrandæ;vel Parmæ à viſitantibus per Quadrageſimæ dies Eccleſias Tertii ordinis S. Franciſci, vel Piſtorii, & Vaſtallæ à recitantibus orationem, Ave Sanctis. Maria, Mater Dei, Regina Cæli &c. & aliæ in peculiari impreſſo libro deſcriptæ, quibus frui dicunt Devotos Seraphicos, & Benefactores.

His

His annumerandæ ſunt, quæ Crucibus Caravacenſibus tributæ dicuntur, vel Coronæ, ſivè Stellario Conceptionis Virginis immaculatæ, quod ex duodecim globulis precarijs conſtat, vel Granis; Crucibus, & Coronis Aloyſię ab Aſcenſione Hiſpaniæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel menſuræ altitudinis Ieſu Chriſti Domini noſtri, vel Imagini, aut menſuræ vulneris lateri ejus inflicti; vel orationi, ut ajunt, in Sepulcro Domini noſtri repertæ; & indulgentię, ut ajũt, innixæ revelationi factæ Sanctis Birgittæ, Mectildi, & Eliſabeth, vel B. Ioanni de Cruce, & conceſſæ, ut aſſerunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum pontificem, Hiſpaniarum Regem, & Miniſtrum Generalem Fratrum Minorum Obſervantiæ S. Franciſci.

Omnes verò, & ſingulas, jam dictas Indulgentias Sacra Congregatio partim eſſe confictas, & planè falſas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini ſuffragari poſſunt, eaſque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Chriſtifidelibus proponi vetat; Foliaque, & Libros, ubi ſic proponuntur, ſeu aſſeruntur, omninò præcipit aboleri, niſi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctę; nec ideò tamen vult, alias quas hoc Decretum non continet, pro veris, & legitimis, tacitèque probatis haberi.

Ac demum omnes indulgentias conceſſas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1597. Coronis, Roſarijs, Granis, ſeu calculis, Crucibus, & Imaginibus ſacris, vel ante Breve Pauli V. quod incipit: *Romanus Pontifex* &c. editum 23. Maij anno 1606. perſonis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Conſtitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium, Quæcumque &c. & 68. Pauli V. incipientem, *Quæ ſalubritèr* &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Jeſu, Capitulo, vel Cętu quocumq; vel ab eorumO fficialibus, Superioribus, alijſque perſonis, vel perſona, etiamſi earum, vel ejus mentio ſpecialis, & individua facienda eſſet, niſi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius eſſe roboris, & momenti pariter declarat.

Porrò Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Chriſtianæ, & Confraternitatibus Sanctiſſimæ Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, Nominis Dei, Roſarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis Captivorũ, B. Marię de Monte Carmelo, Cin-

ſturæ S. Auguſtini,& S.Monicæ,niſi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias verò Stationum Vrbis,quæ à Romanis Pontificibus ſingulari quodam beneficio vel communicatæ ſunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus, aut perſonis,diebus tantùm ſtationum in Miſſali Romano deſcriptis ſuffragari poſse declarat: ſemel autem dumtaxat in die plenariam Indulgentiam,in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctiſſimum, cuncta Sanctitas ſua probavit, & inviolatè ſervari juſſit. Datum Romæ die 7.Martii 1678.

Aloyſius Cardinalis Homodeus.

Loco ✠ Sigilli.

Michael Angelus Riccius Secret.

Die 12. menſis Martij 1678. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per me Rochum de Stephanis SS. D. N. Papæ Curſ.

Digitized by Google

INDEX

DECRETORUM, & CAPITUM CONSTITUTIONUM SYNODALIUM.

Decretum de aperitione Synodi. pag. 3.
CAP.I. *De confirmatione Diœceſanarum Synodorum annis* 1686. 1687. 1688. 1689. 1690. *editarum.* 4.
CAP.II. *De Verbi Dei pædicatione.* 4.
CAP.III. *De Miſſæ Sacrificio.* 5.
CAP.IV. *De Pœnitentiæ Scramento.* 5.
CAP. V. *De Sacramento Ordinis.* 5.
CAP.VI. *De Indulgentiis.* 6.
CAP. VII. *De Sacris Cæremoniis.* 6.
CAP.VIII. *De Proceſſionibus.* 7.
CAP. IX. *De fabricis Eccleſiarum.* 7.
CAP.X. *De bonis Eccleſiaſticis, Inventario, & Archivio.* 9.
CAP. XI. *De vita, & honeſtate Clericorum.* 10.
CAP. XII. *De Hoſpitalibus domibus.* 10.
Decretũ de iis, quæ ad univerſas Conſtitutiones pertinent. 11.
Decretum de Synodi concluſione. 11.
Decretum de Indictione futuræ Synodi. 11.
Rogitus Actorum. 11.
Acclamationes. 12.
Decretũ ultimum de Synodi dimiſſione. 12.

TAVOLA DELL'APPENDICE.

I. *Editto XVII. Intorno alla formazione del ſeſto libro Parrocchiale delle decime.* 13.
II. *Catalogo delle Propoſizioni dannate dalla fel: mem. di Papa Aleſſandro VIII.* 17.
III. *Decreto della Sagra Congregazione delle Indulgenze, col quale ſi dichiara quali ſiano apocrife, quali finte, quali falſe.* 22.

FINIS.

Digitized by Google